

OK. 332, 18.  
EPITHALAMIA  
IN  
SOLENNITATEM NUPTIARUM.

*Ornatissimi, Integerrimiq; viri Iuvenis,*

**Dn: Andreae Cruschvitij:**

*Spectatissimi viri Dn: Jacobi Cruschvitij,*

*olim Civis Reip. BUDISSINENSIS (D. re-  
cordationis) relictii filii,*

SPONSI:

&

*Lectissimæ pudicissimæq; Virginis*

**MARTHÆ**

*Clarissimi viri Dn: Johannis Rhamni:*

*Itidem Civis BUDISSINENSIS*

*(p. m.) relictæ filia,*

SPONSÆ.


*Celebratarum Budissinæ, Pridie Calendas Decem-  
bris, Anno à partu Virginis Salutifero*

non agit in templo sacra Minerva toro. *1609*

Conscripta honoris & benevolentia E.

AB

*Amicis & fautoribus.*



**BUDISSINÆ**

Excudebat Nicolaus Zipserus.

Za

5900



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is mostly mirrored across the page.





Quicquid homo conatur agens, CHRISTO auspice: finem  
Optatum assequitur, non renuente DEO.  
Id benè pensiculas, qui te submittere flammæ,  
Quam mirè celebrat pagina sacra, paras.  
Non etenim dubitas thalamum fulcire jugalem  
Et scaphulâ fidei, remigioq; precum.  
Quam felix torus est, qui sternitur auspice CHRISTO,  
Pulsando cæli supplice corde fores!  
Perge tuum fulcire torum pietatis amore,  
Auxilio nixus præsidioq; DEI.  
Ille etenim solus potis est conjungere amantes:  
Quos vult disjunctos vis inimica hominum.  
Tu nobis præstas exemplum, Sponse, probatum:  
Cura Iovæ quàm sit provida, quamq; pia:  
Quando etiam in minimas sese diffundere gaudet  
Particulas rerum quas homo tentat agens.  
Mira est cælestis cura, est prævisio mira:  
Nec cadit humanæ sub rationis iter.  
Scilicet ut, nutu, monearis singula duci  
Archiducis: dextra queq; subesse sua.  
Ergò sis constans, fidusq; in rebus agendis,  
O bone vir, dum, te quo tuearis, habes.  
Quisquis enim Iovæ curæ est: huic impiger hostis  
Conjugij frustra bella movère solet.  
Et quia te triplici donavit munere CHRISTUS:  
Magnas dic grates terq; quaterq; DEO.  
Magnæ etenim laudis munus: si quando venusta,  
Et nummosa simul nupta ligata viro est.

*Verùm vincit opes PIETAS, vincitq; nitorem  
Corporis : hæc nescit fallere quemq; virum.  
O quàm grata DEO est pietas hæc ! MARTULA cuius  
Semina circumfert, MARTULA laude cluens.  
Hac de dote beat IOVA, laudatissime sponse:  
Hac sis contentus dote: beatus eris.  
Sic quoq; præterea, rerum quibus indiget usus,  
Adjiciet, solus qui dare cuncta potest,  
Sic suavem in terris vitam ducetis uterque:  
Donec vos salvos inferat hora polo.*

*Abraamus Cremerus Grunbergensis:  
Ecclesie Ober-Herzogvvaldensis Pastor.*

**S**PONSE, natalem, nove, te serenum  
Nuptijs mixtum celebrare, gaudens  
Gratulor, gaudens precor, ut sit idem  
Lætus, amœnus.

Dat tibi MARTHAM DEUS, hanc amabis  
Ut decet, castè veneraberisq;  
Charitas Sponsæ pia sit, modesta  
Sitq; pudica.

Lite sint ædes vacuæ, malisq;  
Cæteris: Sponsis numerosus hæres  
A DEO detur: precor illud ore  
Optoq; mente.

Honoris E. conscripta

*Ab Henrico à Metzgeradt.*

*O felix*

**O** Felix juvenis, celebris quem fama coronat,  
Nec, quem suggillet mobile vulgus habet.  
Est q̄, magis felix virtutum quisquis amator,  
Cujus perpetuo laus generosa viget.  
Ex cunctis tamen his mihi felicissimus hic est,  
In cujus thalamum comta puella venit.  
Talis nunc veniens tua, Sponse, est blanda virago,  
Docta parare decus laude pudicitia.  
Si spectas formam, quæ sit præstantia, cernes,  
Si spectas, quàm sit gratia læta genis.  
Si videas nivei rutilantia lumina vultus,  
In spissis tenebris lumen adesse putas.  
Singula quid memorem? cinctæ est diademate tali,  
Quod laudem in cuncta posteritate feret.  
Quid multum cessas? hanc amplexare lacertis;  
Hæc est CRUSCHWIZI MARTHA dicata tibi.  
Dulcia perfundant querulam nunc gaudia mentem:  
Vox index animi nil nisi dulce sonet.  
Efficiat læto MARTHA hæc tibi júbila vultu,  
Aspiciet quoties te sine lite domo.  
Hæc sit dulce decus, sit lux, fax, grata voluptas,  
Nec non & domui fida ministra tuæ.  
Hæc vivat tecum, dum cæli sidera durant,  
Dum Sprevus noster transvehit amnis aquas.  
Hæc & jucundâ faciat te prole parentem:  
Hæc capiat tecum stelliferumq; polum.  
Pocula dent alijs, dent æris munera magna,  
Hæc ego, cum desint splendidiora, fero.

Gregorius Goldammerus  
Philopolit: Misnicus.

**A** Cri gaudet equo saltus peragrare, laboris  
Venator, patiens, umbriferumq; nemus.  
Aurea cum nondum rediens sol astra fugavit,  
Ales surrexit pictus, agerq; tacet.  
Sub Jove, spumantes apros sub monte repertos  
Trudit in obstantes, frigidior, plagas.  
Et cane persequitur multo, convalle virenti  
Vivaces cervas dulcia dona penus.  
Ut lepores captet, silvas indagine cingit,  
Quo se vis, instans, vertit odora canum.  
Retia rara dolos turdo mediatur edaci  
Jucundæ prædæ, strymoniaq; grui.  
Nec non imbelles ferro transigit acuto  
Damas, quæ noster munera campus alit.  
Sed magis, ANDREA, sociale ferire juvabit  
Fœdus, cum castâ virgine, Sponse, tori.  
Non etenim tantum Cererem depromit incemtam,  
Vel lignis sacros extruit ista focos.  
Eximit ast curas atras, reficitq; maritum  
Defessum, in partes adjuvat atq; domum.  
Dum regit imperio famulam, mandata capeffat,  
Nec faciat longas iussa venire moras.  
Exigit ac annos tecum, solando labores  
Duros, filiolis te facit esse patrem.  
Ut juvat, hos circum mensas vidisse repôstos  
Examen, multo gratius ære, domus.  
Comprecor huic Sponso talem, Deus annue votis,  
Sponsis, dulce decus, præsidiumq; pijs.

*Christophorus Queitschius Reichen-  
bacensis Lusat: Sup:*

ANDRÆ


**A**NDREÆ redeunt Divi solennia festa,  
 In quibus ANDREAS CRUSCHWITZ connubia jungit,  
 Virgine cum MARTHA vera pietatis amante,  
 Legitimi lecti tu fons & origo IEHOVA,  
 Da Sponsis Crasi bona, da corpusq; salubre,  
 Quò peragant leti juvenili corpore vitam,  
 Et sint concordēs, procul omni lite remotâ.  
 Sponsus amet Sponsam ceu partem pectoris; illa  
 Hunc redamet, faciens perpulchrâ prole parentem.  
 Hoc precor à IOVA votis ardentibus, ipse  
 Annuet hisce meis precibus DEUS, annuat oro.

Elias Lhemannus Budifs: Lusat:



**S**PONSUS es, ANDREA, & celebras hymencia festa:  
 Nunc essent meritò vota ferenda Tibi.  
 Exiguæ ingenij sunt vires, rarior usus,  
 Venaq; difficilis nec mihi larga fluit.  
 Ergò dimidio versu Te prosequor, istud  
 Votum quæso meum consule, Sponse, boni:  
**CONJUGIUM TIBI SIT FELIX.** Qui centupla fundunt  
 Vota & verba tibi, quid poterunt aliud?

David Euchlerus Budifs: Lusat:



7a 5900 OK

*[Faint, mostly illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*

*[Faint, mostly illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]*

WOM

11.11



Qk. 332, 18.

EPITHAL  
IN  
SOLENNITATEM

*Ornatissimi, Integerrimi*

Dn: Andreae C

*Speclatissimi viri Dn:*

*olim Civis Reip. BUDISS*

*cordationis) re*

SPONS

&

*Lectissimæ pudiciss*

MART

*Clarissimi viri Dn: Jo*

*Itidem Civis BUD*

*(p. m.) relic*

SPONS.

*Celebratarum Budissinae, Pr*


*bris, Anno à partu Vir*

non agit In tep No fa

Conscripta honoris & b

AB

*Amicis & fa*



BUDISS

EXCUDEBAT NICOL.



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

